

N. Cum enim eunomiani ac bonosiaci perverse de Trinitate crederent, corrupta propter ea ab iis est baptismi forma, hinc tincti iterum ab Ecclesia sunt qui fuerant ab his hæreticis baptizati.

Ad 5. *Dist.* Dubitavit Cornelius de baptismi effectu propter malam Novatiani dispositionem, C. de substantia baptismi, N. prout jam notaverat eruditus Valesius (in lib. VI. II. Ec. Eusebii cap. 43); quod pariter de omnibus in lecto decumbentibus, et baptismum efflagitantibus ob metum mortis imminenti, dubitandum esse generatim observavit synodus neocæsariensis (1); atque ob hanc prudentem suspicionem factum est, ut irregulares haberentur in mortis articulo baptizati. Quod si Magnus dubitavit de valore baptismi per infusionem collati, ejus dubium excussit s. Cyprianus (2), imo omne dubium sustulit Ecclesia universa, quæ semper ejusmodi baptismi ratum habuit, ut constat ex dictis (Cf. s. Th. 3 p. q. 56. a. 7).

## CAPUT II. DE BAPTISMI FORMA.

Evangelicam baptismi formam vitaverunt gnostici, valentiniani, montanistæ aliqui, sabelliani, priscillianistæ, alique, de quibus hæresiographi late disserunt (Cf. Bingham. lib. XI. cap. 3). Zwingliani, calvinistæ, sociniani, formam quidem catholicæ Ecclesiæ retinent, ita tamen, ut eam minime necessariam censeant, cum ex eorum systemate baptismi virtus, perinde ac aliorum sacramentorum, ex sola fide pendeat (3). Ex catholicis haud pauci theologii atque scriptores ecclesiastici recensentur, qui putent, ab apostolis ex quadam dispensatione administratum fuisse baptismum in nomine Jesu tantum; imo ejusmodi ablutionem ratam habuisse nonnullos patres; nec desunt qui valuisse ejusmodi baptismum collatum in uno Christi nomine quovis tempore arbitrentur (Cf. Bellarm. loc. cit. n. 8). Controversia prior, quæ dogmatica est, non debet permisseri cum posteriori questione, quæ est tantum critica. Hanc propterea rejicientes ad scholia, quæ inferius adjicimus, illam in præsentia solum expendimus.

PROPOSITIO. — Vera est de sacramento baptismi doctrina in Ecclesia romana, quæ tenet baptizandum esse sub distincta invocatione trium divinarum personarum.

59. Est de fide, ut constat ex adducto in sup. pro-

(1) Can. XII. cujus hæc verba sunt: « Si quis ægrotans fuerit baptizatus, non potest in presbyterum evehi. Fides enim ejus non est ex instituto, sed ex necessitate. Nisi forte propter consequens ejus studium et fidem, hominumque raritatem. » Cf. in hunc canon. Beveregii annotationem. Vid. etiam circa hoc clinicorum baptismum s. Joan. Chrysostomum Hom. IX. ad Catechum.

(2) Epist. LXXVI. Ubi non solum ejusmodi baptismum plenum ac legitimum esse censet, sed præterea clinicos nihil inferiores esse ait iis, qui sani baptismum in Ecclesia susceperunt; hoc ipsum confirmat auctoritate Scripturarum. Haud ignoro a nonnullis tum hanc, tum alias epistolas s. Cypriani, inter spuria aut saltem dubia ejus scripta rejici; at perperam, ut suo loco ostendimus. Interim cf. in eandem ep. notas Stephani Baluzii.

(3) Sane Lutherus his omnibus prævit scribens in lib. de Captiv. Babylon. de baptismo: « Baptismus esse ratum quibuscumque verbis collatum, modo non in nomine hominis sed in nomine Domini detur. » Cf. Bellarm. lib. de Bapt. cap. 3. n. 7.

pos. can. III. conc. Tridentini, collato cum can. IV. quem inferius proferemus, in quo sub anathematis telo idem concilium ratum ac verum esse decernit baptismum datum ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Forma igitur præscripta ab Ecclesia romana est: *Ego te baptizo in nomine Patris, etc.* Ab ea quoad substantiam non differt forma, quæ in usu est in Ecclesia græca: *Baptizatur (βαπτίζεται) servus Dei in nomine, etc.* (1). Eadem viget in ceteris Ecclesiis orientalibus. Dum propterea defendimus formam, quæ obtinet in Ecclesia romana, adstruimus pariter baptismi formam Ecclesiæ universalis.

Veram porro esse Ecclesiæ romanæ doctrinam relate ad memoratam formam patet 1. ex Christi verbis Matth. ult.: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Patet 2. Ex unanimi Patrum consensu, qui docent, nullum esse baptismum, quod non constiterit invocatione trium personarum divinarum. Tertullianus lib. de Baptismo: *Lex tingendi, scribit, imposita est, et forma præscripta. Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus s.* (Cap. 15. edit. Rigalt.); s. Cyprianus. ep. LXXIII. ad Jubai. *Quando ipse Christus, inquit, baptizari jubet in plena et adunata Trinitate* (2). S. Ambrosius lib. de Mysteriis: *Nisi baptizatus fuerit (catechumenus) in nomine Patris, et Filii, et Spiritus s., remissionem non potest accipere peccatorum* (3); s. Basilius lib. de Spiritu s. *Sicut enim credimus in Patrem et Filium et Spiritum s., sic et baptizamur in nomine Patris, etc.* (4). Et hi pauci ex multis sufficiant (5).

Patet 3. Ex perpetua constantique utriusque Ecclesiæ orientalis et occidentalis praxi, de qua non solum constat ex synodis Arrelatensi I. et Nicæna I. sed præterea ex multiplici argumento, quod ex eadem praxi patres eruerunt ad confundendos sabellianos, arianos, macedonianos, eunomianos aliosque Trinitatis osores. Id ipsum conficitur ex omnibus utriusque Ecclesiæ euhologiis et ritualibus libris, alii que monumentis allatis a Martenio ac Renaudotio. Ergo.

DIFFICULTATES. *Obj.* I. Si verba Christi: *Baptizantes in nomine, etc.* inducunt necessitatem ea proferendi in collatione baptismi, etiam alia verba: *Euntes docete, induxerunt necessitatem proferendi inter docendum: Ego vos doceo; quod nemo dicet.* 2. Adde illud in nomine, solum significare in virtute et fide; hinc 3. cum divinarum hypostascon una sit sub-

(1) Non autem, ut nonnulli scribunt, βαπτίζω βαπτίζω. Cf. Goarium op. cit. pag. 353. et seqq. ubi plura affert officia Græcorum S. baptismatis; nec non Arcudium in Concordia Ecclesiæ orientalis et occidentalis. Cap. 8. Græcis orientales Ecclesiæ reliquis assentiri in baptismi forma ostendit Renaudotius *perpétuité de la foi*, tom. v. lib. II. ch. 5.

(2) Edit. Maur. in quem locum cf. not. Maurin. edit.

(3) Cap. 4.

(4) Cap. 12. *ὡς γὰρ πιστεύομεν εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, οὕτως καὶ βαπτίζομεθα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.* Atque hic animadvertendum, s. Basilium data opera refellere eos, qui contendebant valere baptismum collatum in nomine solius Christi.

(5) Reliqua testimonia Cf. apud Pamelium annot. I. in lib. Tertulliani de Baptismo.

stantia, ac per circuminsessionem una persona in altera sit, perinde erit, sive in unius, sive in trium distincte personarum nomine baptismum conferatur aut etiam in nomine Trinitatis, ut nonnullis placuit (1). 4. Imo omnis omittitur forma in illa collatione baptismi, quæ a s. Ambrosio, seu auctore librorum de Sacramentis lib. II. c. VII. describitur; prout omittitur in libro Gelasiano ex codicibus Thomasi et Colbertino (2). Ergo.

*Resp. ad 1. Neg.* In factis enim attendi debet ad voluntatem institutoris: porro voluntas Christi patefacta est ex praxi Ecclesiæ, quæ ita intellexit verba Christi, ut ea sola exprimerentur, quibus ipsa utitur in administratione, alia vero non item. Idque merito, quia docendi actio satis ipsa per se innotescit absque additamento *Ego te loceo*; actio autem tingendi, cum per se indifferens sit ad plura denotanda, coactari debuit ad actionem sacramentalem per invocationem ss. Trinitatis.

Ad 2. *Neg.* Illud in nomine solum significare virtutem et fidem; significat enim præterea invocationem et appellationem trium divinarum personarum quæ gratiam largiuntur et sanctificationem efficiunt.

Ad 3. *Resp.* Esto, quod unaquæque trium divinarum personarum, ratione identitatis naturæ aut circuminsessionis, in altera sit; cum tamen Christus formam præscripserit in invocatione trium distincte personarum, atque Ecclesia ita in praxim deduxerit, non absque gravi piaculo, ac periculo saltem nullitatis sacramenti, alia quævis forma adhiberetur. Diversæ formæ a nonnullis scholasticis excogitatae, quamvis quoad sensum videantur convenire cum forma a Christo præscripta et ab Ecclesia usurpata, nulla ratione in praxi admitti possunt (3).

Ad 4. *Neg.* Etenim s. Ambrosius, seu auctor librorum de Sacramentis, prout observant maurini editores, enumerat interrogationes mersiones que non quo ordine, sed qua mente, quamve ad rem exhibendam fierent. Præmittentur enim olim interrogationes, iisque absolutis inchoabantur mersiones cum apposita forma, ut patet tum ex omnibus liturgicis libris, tum ex eodem ipso auctore qui nobis opponitur. Hic enim ibid. lib. II. cap. V. n. 14. jam dixerat: *Cælestia verba, quæ Christi sunt, quod baptizemus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus s.; et cap. VII. n. 22. In uno autem nomine baptizari non jussit (Christus), hoc est, in nomine Patris, etc.* (4).

(1) Inter quos recensetur Cajetanus in 3. P. S. Th. q. 66. a. 5. ubi etiam alias formas proponit et discutit.

(2) Cf. apud Muratorium in op. *Liturgia Romana vetus*. Venet. 1748. tom. I. col. 570. et 596.

(3) Inani prorsus labore nonnulli scholastici diversas baptismi formas excogitarunt, ut deinceps inquirerent num validum, an vero invalidum censeudum sit baptismum tali forma administratum. Etenim absque gravi piaculo nemini fas est a recepta in Ecclesia forma recedere. Quod si id fiat, saltem sub conditione baptismum esset iterandum. In his enim, ex quibus pendet æterna salus, tutior omnino via teneri debet.

(4) Cf. in objectum locum annotationem edit. maur. Perperam Chardon in *Histoire des Sacraments* liv. 1. Sect. 1. Part. 2. Ch. 5. contendit adversus laudatos editores,

Eadem responsio aptari debet ad id, quod objicitur ex silentio libri Gelasiani, cum eadem sit ratio; eo magis quod in eodem sacramentario Gelasiano juxta codices regium et noviomensem hæc reperitur forma pro baptismo infirmorum: *Baptizo te ill. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus s. ut habeas vitam æternam* (1).

Atque hic obiter animadvertendum est, ejusmodi additiones: *Ut habeas vitam æternam*; vel, ut addunt Græci: *Baptizatur servus Dei in nomine Patris amen, et Filii amen, et Spiritus s. amen. Nunc et semper et in sæcula sæculorum amen*; non attingere substantiam, ideoque non officere sacramenti valori.

## CAPUT III. DE MINISTRO BAPTISMI.

Duplex questio institui potest circa baptismi ministrum, ad validam, scilicet, et ad licitam hujus sacramenti administrationem. Ad ejus valorem non requiri in ministro fidem ac probitatem, suo loco ostendimus (2). Num vero præterea ad baptismum rite ac valide administrandum determinata ministrorum requiratur conditio, anceps videtur calvinianorum sententia. Interdum enim videntur baptismum a laicis, feminis præsertim, administratum, tanquam invalidum rejicere, interdum vero tantum ut illicitum illud videntur respuere, quamvis in casu necessitatis ab illis conferretur. Quidquid porro de istorum hæreticorum mente sentiendum sit, nostrum erit ostendere, posse in necessitatis casu a quocumque baptismum conferri, ita ut rite ac licite haberi debeat.

Et hæc quidem cum urget, ut diximus, necessitas; extra hanc enim nequit baptismus licite conferri, nisi a proprio ejus ministro, qui potest esse *ordinarius* aut *extraordinarius*.

Quæ, ut planius intelligantur, ratio habenda est triplici hujus sacramenti administrationi, quæ distinguitur in *solemnem, publicam, et privatam*. Solemnis censetur ea, quæ in solemnitatibus paschatis et pentecostes olim præcipue obtinebat (3); *publica* ea dicitur ipsa s. Ambrosium nullam baptismi formam necessariam cit. loc. agnovisse. Hoc enim perinde est, ac velle in meridiana luce cæcutire. Atque hic quidem animadverto, hunc auctorem eruditum se exhibere, sed interdum etiam nimis liberum esse, et novitates aucupantem.

(1) Cf. apud Marten. loc. cit. art. 18. *Ordo V.*

(2) Tract. de Sacram. in genere n. 125. et seqq.

(3) Duos hos dies Paschatis et Pentecostes, a primis Ecclesiæ seculis baptismum solemniter conferendo consecratos fuisse, Tertullianus lib. de Baptismo cap. 19. disertis his verbis testatur: « Diem baptismum solemniter Pascha præstat. . . Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est. » Qui mos ut illæsus servaretur, cum summi Pontifices Siricius, Leo, Gelasius etc., tum concilia quamplurima operam dederunt; neque tamen efficere potuerunt, quominus identidem violaretur, ac baptismus per diversas regiones in præcipuis festivitatibus solemniter conferretur. De natali Domini luculentum est s. Gregorii M. testimonium lib. vii. ep. 50. Indict. I. ad Eulogium scribens: « In solemnitate autem Dominicæ nativitatibus, quæ hæc I. Indictione transacta est, plusquam decem milia Angli ab eodem nuntiati sunt fratre et coepiscopo nostro (Augustino) baptizati. » Eodem die Clodoveum Francorum regem regeneratum esse memorat Avitus Viennensis episcopus in epistola ad ipsamet regem. Eumque morem in Galliis usu receptum esse liquet ex Gregorio Turon. lib. de Gloria confess. cap. 69. et 76. necnon lib. viii. Hist. Francorum cap. 9. idem et de natali S. Joan. Baptistæ die censeudum esse persuadet hic postremus Gregorii Turon.

tur, qua passim in Ecclesia baptismum confertur suis ritibus ac ceremoniis; *privata* denique ea est, qua gravi impellente necessitate, quovis loco ac tempore, hunc sacramentum administrari consuevit.

Itaque baptismi *solemnis* minister proprius et ordinarius est episcopus; *publici* est sacerdos, delegatus vero et extraordinarius est diaconus; *privati* denique quilibet esse potest sive clericus, sive laicus, sive masculus sive femina, nec non hæreticus et infidelis.

Circa baptismi *solemnis* et *publici* ministerium ordinarium et extraordinarium nulla nobis est controversia cum protestantibus; quare in hoc tradendo doctrinae capite breves esse possumus, non item vero in altero capite vindicando ob dissensionem calvinianorum, de qua modo diximus.

PROPOSITIO I. — *Sacramenti baptismi ministri ordinarii sunt episcopi et presbyteri, extraordinarii vero et ex delegatione, diaconi.*

Est certa quoad singulas suas partes. Ac primo quidem episcopus ordinarius esse hujus sacramenti ministros, nunquam dubitatum fuit. Tales præterea esse presbyteros, *subordinatos* tamen, constat ex Eugenio IV. qui in suo decreto, seu instructione pro Armenis, aperte tradit: *Minister hujus sacramenti baptismi est sacerdos, cui ex officio competit baptizare* (1). Innititur autem hæc doctrina in sensu Ecclesie traditionali, quæ semper illa Christi verba: *Euntes docete baptizantes*, quod attinet ad collationem baptismi, intellexit tam de episcopis, quam de presbyteris. Sane constitutiones apostolicæ permittunt baptizare *solos episcopos ac presbyteros ministrantibus diaconis* (2). Sic Innocentius I. pro certo habet presbyteros baptizare *seu extra episcopum, seu præsentem episcopum* (Ep. XXV. ad Decent. n. 6.). Imo innititur doctrina hæc apostolorum agendi ratione, ut colligitur ex Act. X. 48. ubi Petrus Cornelium ejusque familiares per alios baptizari jussit, atque ex I. Cor. I. 15. et seqq. ubi apostolus profitetur non nisi paucos a se baptizatos esse, addens: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare*. Quare Act. XIX. idem apostolus aliorum ministerio baptizavit duodecim Joannis discipulos, quibus postea ipse manus imposuit.

Quod si interdum nonnulli patres episcoporum facultatem exigere videntur, ut presbyteri tingere possint, vel de solemnibus baptismi administratione intelligendi sunt (3), vel de servando ordine in ecclesiastica politia et recta regiminis forma, juxta quam par erat, ut quum baptizantium episcoporum copia suppeteret, presbyteri ab eo munere se temperarent, licet sui ordinis locus. Plura sunt antiquorum testimonia pro Epiphianorum die. Hæc præsertim festivitate Siculi baptizari amabant; quod s. Leo M. ep. XVIII. n. 2. et 9. improbat. S. Greg. Nyssen. ea ipsa die orationem ad baptizandos habuit. Morem eundem adstruit s. Greg. Naz. orat. XL. Joan. Moschus in Prato Spirit. cap. 214. et Raderius Veron. Serm. I. de quadrag. Plura alia Cf. apud Constant. Epist. Rom. Pontif. in adnot. ad epist. s. Syriaci ad Himerium col. 626.

(1) Apud Hard. Acta Conc. tom. ix. col. 458.

(2) Lib. III. cap. 11. *Αὐτὸς ἡ μόνος ἐπιτοκός, καὶ ἀποστολικός, ἡ ἀποστολικὴ ἀνάγκη τῶν διακόνων.* Cf. apud Coteler. op. cit. cum notis appositis. Id ipsum constat ex can. apostolic. XLVII., XLVIII. et L.

(3) Ita quidem catechismus Rom. part. II., n. 22.

dis proprio, prout neque nunc temporis omnibus indiscriminatim presbyteris licet baptismum conferre, sed solum ex parochi licentia; vel denique hæc patres illi docuerunt, ut commonefacerent, presbyteros non esse nisi ministros *subordinatos*, prout supra animadvertimus (1).

Diaconos porro ministros esse extraordinarios ablutio sacramentalis constat ex actis apostolicis VIII. 38. ubi Philippus diaconus baptizasse perhibetur eunuchum, et v. 12. baptizasse viros et mulieres. Jam vero cum id præstitisse ex apostolica delegatione, eruitur ex sensu totius antiquitatis, in qua diaconi exhibentur tantum ut ministri extraordinarii hujus sacramenti. *Diaconis enim nullum in ecclesiastico ordine sacramentum perficere conceditur; sed hoc dumtaxat, ut eorum, quæ perficiuntur ministri sint*, ut loquitur s. Epiphanius (2); et ante ipsum constitutiones apost. aperte ferunt illos non baptizare (3). Scilicet ex munere proprie sue. Aliquando enim hoc sacramentum collatum ab iisdem fuisse aut conferri posse quum *necessitas extrema compellat*, patet ex cap. *Diaconus* (4), quod ex epistola Gelasii ad episcopos Lucaniae depromptum est. Istæ autem necessitas aestimabatur ex opportunitate baptismi conferendi et absentia episcopi vel sacerdotis: ut ex concilio Illiberitano colligitur (5). Imo constat, in Ecclesia romana in paschatis pervigilio diaconis antiquitus indultum fuisse baptizare, propter ingentem eorum multitudinem, qui ad baptismum accedebant (6); quod pariter passim præstabant in diaconis,

(1) In antiqua Ecclesia rigidior disciplina viguisse videtur circa jus conferendi baptismum, quod uni fere episcopo tribuebatur. Nam s. Ignatius, Epist. ad Smyrn. cap. 8, scribit: *Non licet sine episcopo, neque baptizare*; Tertull. lib. de bapt. cap. 17: *dandi quidem (baptismi)*, inquit, *habet jus summus sacerdos, qui est episcopus, deinde presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate*. S. Hieronym. Dial. adv. Lucif. Unde venit, ut sine episcopi jussione neque presbyter neque diaconus jus habeat baptizandi. Quocirca, ubi episcopum abesse contingebat, baptismum diebus paschæ et pentecostes solemniter conferri consuetum omittitur, ut pluribus ostendit eruditus Martene, De antiqu. Eccles. ritibus, tom. I., lib. I., art. 5. Cum igitur perhibentur presbyteri baptizare, etiam præsentem episcopum, ut in Epist. X. S. Siricii, cap. 4, subaudiendum est et jubente; sicut cum Concilium Hispalense II., an. 619 celebratum, cap. 17, decernit: *Neque coram episcopo licere presbyteris in baptisterium introire, nec præsentem infantem tingere*, subintelligendum est: *nisi ipse jubeat*. Hæc ratione facile componuntur et conciliantur illa decreta in speciem pugnantia, et antiquæ discipline inveniuntur consentanea, ut advertit Constant. loc. cit. Ceterum, cum S. Ignatius loc. cit. addat, presbytero sine episcopo non licere, neque agapen celebrare, id est, Eucharistiam conficere, ac apud omnes exploratum sit, presbyteris jus ordinarium competere consecrandi eucharistiam, sic dubitari nequit, veteres, cum interdicerent ipsis baptizare sine licentia episcopi, minime adimere iisdem voluisse jus ordinarium baptizandi. Id unum præterea voluit, hoc jus, utpote subordinatum, non potuisse a presbyteris in praxim deduci absque episcopi jussione et facultate.

(2) Hæres. LXXIX, n. 4 edit. Pelav. Καὶ γὰρ οὐκ ἐπίσκοπος ἐστὶν ἡ βαπτιστικὴ ἀνάγκη, ἀλλὰ μόνος ὁ διάκονος ἐκ ἐπιτοκίας.

(3) Lib. VIII, cap. 28, ubi aperte dicitur: *Διακόνος... οὐ βαπτίζει. Diaconus... non baptizat.*

(4) Distinct. XCIII., cap. 15, edit. Pithæi.

(5) Can. LXX., qui ita se habet: *si quis diaconus regens plebem, sine episcopo vel presbytero, aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* In quem canonem cf. Albaspinus et Card. de Aguirre, tom. I., collectionis maxime Conciliorum omnium Hispaniæ.

(6) Id patet ex Epist. X., Siricii ad Episc. Gall. cap. IV.

in quibus ipsi plebem regebant, ut liquet ex cit. concilio Illiberitano. Hæc ratione exponitur, quod in diaconorum ordinatione dicitur: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, et prædicare*. Quæ verba significant quidem, diaconos vi propriæ ordinationis idoneos effici, ut ad prædicandum ac baptizandum assumi seu deputari possint; sed non excludunt mandatum et delegationem, prout autumat Cellotius (1) contendens inde, diaconis jus competere conferendi baptismum *ex officio*. Apposite ostendit s. Thomas diaconos præcise institutos esse, *ut ministerium adhibeant aliis majoribus (ordinibus) in sacramentorum exhibitione* (2).

Cum circa hanc propositionem nulla, ut diximus, sit nobis cum protestantibus controversia, ac si quæ oriatur difficultates in conciliatione veterum monumentorum, præoccupatæ jam fuerint, supervacaneum ducimus eas proponere.

PROPOSITIO II. — *Necessitate cogente a quocumque, sive masculo sive femina, imo et ab hæretico et infideli baptismus valide ac licite administrari potest.*

Spectat hæc propositio ad fidem, ut constat ex concilio Lateranensi IV. cap. *Firmiter*, ubi hæc sancita sunt: *Sacramentum baptismi, quod ad invocationem individue Trinitatis... consecratur in aqua, tam parvulis, quam adultis, in forma Ecclesie a quocumque rite collatum, proficit ad salutem* (3); et clarius etiam id ipsum decretum est ab Eugenio IV. in *Instruct. Armenorum*: *In casu autem necessitatis, inquit, non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus, et hæreticus baptizare potest* (Ibid. loc. sup. cit.).

Sane quod ad laicos attinet, valide ac licite eos posse urgente necessitate baptismum conferre, patet ex Tertulliano ita scribente: *Alioquin et laicis jus est* (Lib. De baptismo cap. 17.), nempe conferendi baptismum de quo hic loquitur; tum ex s. Hieronymo, qui id pro certo sumit dicens *baptizare, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis* (In Dial. cont. Lucif. n. 9. ed. Vallars. tom. II. col. 282.); necnon ex s. Augustino, qui disserens de baptismo a laicis collato: *Nulla, inquit, cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est; si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est* (4). Demum, ceteris omissis, id ipsum constat ex concilio Illiberitano, quod jam statuerat posse fidelem, si Ecclesia in proximo non fuerit, peregrinantem catechumenum in necessitate infirmitatis positum baptizare (5). Nec pluribus opus est documentis, cum id aperte receptum fuisse ab ipsis Ecclesie incunabulis fateatur ipse Calvinus scri-

n. 10, ubi hæc leguntur: *paschæ tempore presbyter et diaconus per parochias dare remissionem peccatorum (per baptismum) et ministerium implere consueverunt, etiam præsentem episcopo in fontem quoque ipsi descendunt.*

(1) De hierarchia et hierarchis, lib. VII, cap. 13.  
(2) Part. III, q. 67, art. 1. Sane in cit. epist. s. Siricii post adducta verba pergit S. Pontifex: *Diaconis vero nulla licentia (baptizandi) invenitur esse concessa.*  
(3) Apud Hard. Acta Conc. tom. VII, col. 17.  
(4) Contra epist. parmen. lib. II, cap. 15, n. 2.  
(5) Can. XXXVIII, quem inferius integrum afferemus.

bens: *Quod autem multis abhinc seculis, adeoque ab ipso fere Ecclesie exordio usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video, qua firma ratione defendi queat* (Instit. lib. IV. cap. 15. § 20.). Ast defenditur perpetuo ipso Ecclesie usu.

Valide præterea ac licite tum ab hæreticis tum ab infidelibus baptismum, mortis periculo impendente, administrari posse, ab iisque peti ac suscipi ex dictis colligi facile potest. De hæreticis jam nullum dubium superest, et ab adversariis ipsis admittitur (1). Enim vero, ut alias ostendimus, validum est baptismum ab ipsis rite collatum, legitime igitur in necessitatis casu ab iisdem administrari ac suscipi potest, cum impellente necessitate, quisque possit ac debeat meliori, qua fieri potest, ratione propriæ salutis prospicere.

Circa valorem baptismi ab infidelibus collati licet anceps aliquando hæserit s. Augustinus, inclinavit tamen in partem affirmativam. Etenim lib. II. contra epist. Parmeniani: *Hæc quidem, inquit, alia questio est, utrum et ab iis, qui nunquam fuerunt christiani, possit baptismus dari: nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti concilii, quantum tantæ rei sufficit* (Cap. 15. n. 50). Deinde vero lib. VII. de Baptismo scribit: *Nequaquam se dubitatorum habere eos baptismum, qui ubicumque et a quibuscumque illud verbis evangelicis consecratur sine sua simulatione et cum aliqua fide accepissent* (Cap. 55. n. 102). Re proinde melius eliquata jam a sec. IX. Nicolaus I. in responsione ad consulta Bulgarorum affirmavit, valere baptismum ab homine Judæo vel pagano collatum (2); atque id demum, ut vidimus, sanxit concilium œcumenicum Lateran. IV. et postmodum Eugenius IV. Nullum præterea jam superest dubium circa hujusmodi lavacri valorem, nec videntur ipsi novatores de hoc amplius ambigere.

Sane veritas de valore baptismi ab infideli collati est veluti corollarium alterius veritatis, de valore scilicet baptismi ab hæretico administrati, ex qua tanquam ex suo germine seculorum decursu evoluta est. Ideo enim baptismum datum ab hæreticis valet, quia sacramentum est Christi, minister autem non est nisi instrumentum quo Christus utitur, juxta splendidissimum Augustini principium: *Baptismus a quocumque ministratur, semper est Christi* (3). Hæc porro ratio æque militat pro baptismum collato ab infideli, prout ab Ecclesia declaratum est. Quod si tenet lavacrum ab infideli datum, hoc ipso colligitur, juxta rationationem paulo ante institutam, licite posse compellente necessitate baptismum ab eo peti, prout demonstrandum assumpsimus.

DIFFICULTATES. I. Obj. 1. Iis jus competit baptizandi, quibus a Christo jus datum est prædicandi, ut

(1) Nam ipse Calvinus loc. cit. § 16. hæreticorum baptismi valorem ex professo tuetur, ac reliqui reformati et protestantes admittunt.

(2) Apud Hardoin. Acta c. m. tom. v. col. 483.  
(3) Cf. Decret. Gratiani P. 5. de consecrat. Dist. IV. ubi plura congeruntur in hanc rem s. Augustini testimonia.

constat ex Matth. XXVIII. porro solis apostolis eorumque legitimis successoribus jus prædicandi tribuit Christus, ergo et baptizandi. 2. Hinc nusquam legimus in Scripturis a laicis administratum esse baptismum. 3. Quare nec s. Gregorius Nazianzenus nec s. Satyrus, licet in evidenti naufragii periculo constituti, existimarunt se potuisse a laicis tingi; 4. Aliter etiam poenitentia peti ab ipsis posset, quæ post lapsum ejusdem est necessitatis ac ipsum baptismum. 5. Constitutiones apostolicæ interdiciunt laicis usum conferendi baptismum. 6. Cyprianus, Firmilianus, Basilius volebant baptizatos ab episcopis hæreticis considerari *tanquam a laicis baptizatos*; id est, invalide juxta eorum principium (1): 7. S. Hieronymus in dialogo adversus Lucifer. concedit a laico poenitendum esse *sacerdotium laici*, seu baptismum ab Ariano episcopo, id est, in eorum hypothesi a laico receptum. 8. Quod si concilium Illiberitanum facultatem facit laico baptizandi in necessitatis casu, adjicit tamen: *Dummodo lavacrum suum integrum habeat, nec sit bigamus*. Ergo.

*Resp. Ad 1. Dist.* Publice et ex officio, C. privatim et necessitate cogente, N. Nam privatim etiam laici alios docere possunt, prout id præstiterunt Aquila et Priscilla, ut legitur in actis apostolicis (Cap. XVIII. 26 et seq.)

*Ad 2. Tr.* Ex traditione propterea, perinde ac plura alia doctrinæ capita, talis est deponenda facultas. Ceterum non desunt, qui contendunt, Ananiam, a quo baptizatus est Paulus, fuisse simplicem fidelem, necnon fratres illos, a quibus jussu Petri tinctus est Cornelius cum domo sua (2).

*Ad 3. Dist.* Quia non putarunt se in tali constituto esse periculo ut Satyrus, ut licite possent a laicis petere baptismum, C. quasi putaverint absolute non posse a laicis baptismum administrari, vel *Tr.* (3), vel, N.

(1) Epist. s. Basil. CLXXXVIII. ad Amphiloeh. cap. 1.

(2) Perperam Turretinus loco XIX. de Bapt. § 12. evadere tentat, dum respondet pro privatis habendos non esse, qui jussu et auctoritate apostolorum baptismum administrarunt; perperam, inquam, cum Ecclesia in pastoralis officio eadem potestate fruatur, qua apostoli donati sunt tanquam Ecclesiæ pastores: si propterea juxta ipsum valide ac licite deputati ab apostolis baptismum contulerunt, valide ac licite conferunt et omnes, qui in necessitate constituti idem sacramentum conferunt, Ecclesia probante, imo et præcipiente. Quamvis, si rectius loqui malimus, non ab Ecclesia, sed a Christo ipso hanc potestatem in ejusmodi casibus laici acceperunt, Ecclesia solum interpres Christi voluntatis est.

(3) Tillemontius in suis *Mémoires pour servir à l'hist. ecclési.*, tom. ix. pag. 357. et seqq. censet, validitatem baptismi per laicos collati tunc adhuc non satis notam fuisse græcis, ac ne latinis quidem omnibus; hoc vero confirmatum ex factis s. Gregorii Nazianzeni ac Satyri, tum auctoritate s. Basilii loco a nobis superius cit. In hanc pariter sententiam concessit Henschenius in *actis sanct.* mens. maii tom. ii. in annot. ad cap. 2. vitæ s. Gregorii Nazianz. pag. 579. Cf. etiam Charidon, *hist. des sacrements*, tom. i. pag. 552. et seq. qui ostendit, Græcos et Orientales sensim ac sine sensu ab ejusmodi rigore recessisse. Addo porro, non levia vestigia in antiquitate reperiri baptismi a laicis administrati, quique rarus habitus sit. Eisi enim daremus falsam esse historiam, quam Rufinus et ex eo Sozomenus aliique referunt, baptismatis a puerulo Athanasio collati, cum tamen hi historiographi ratum habitum fuisse ab Alexandro episcopo alexandrino perhibeant ejusmodi lavacrum, secuti ipsi sunt in hac historia referenda sententiam

*Ad 4. Dist.* Si laici eadem potestate a Christo præditi essent circa poenitentiam ac circa baptismum, C. Si hæc instructi non sunt, N. In his tota ratio facti est voluntas facientis. Ex sensu porro Ecclesiæ traditionali constat, a laicis administrari posse baptismum urgente necessitate, non autem sacramentum poenitentiae. Accedit, infantibus non aliter prospici posse, quam per baptismum; aliquid propterea intercedit discrimen inter utriusque sacramenti necessitatem.

*Ad 5.* Interdiciunt constitutiones apostolicæ laicis usum administrationis baptismi solemnem et publici, C. privati in necessitatis casu, N. ut patet ex orationis serie, in qua agitur de muniis sacerdotalibus (1).

*Ad 6. Dist.* Laicis non christianis in ipsorum hypothesi, *Tr.* vel, C. fidelibus, N. Rebaptizantes ut hæreticorum, sic etiam a fortiori infidelium baptismum rejiciebant (2).

*Ad 7. Dist.* Arguendo ab absurdo, ut dicitur, et ad hominem, C. ex propria sententia, N. Contendit scilicet s. doctor non esse deponendos ab episcopatu poenitentes, prout volebant Luciferani, eadem ratione, qua non deponuntur a baptismo rite suscepto poenitentes laici (Cf. *Vallarsium in h. l.*)

*Ad 8. Dist.* Ut liceat, dignioribus præsentibus, C. ut valeat, N. Ita passim doctores canoniste obscurum hunc canonem exponunt. Petavius censet reipsa ab his patribus nullum habitum esse baptismum a bigamo collatum (3).

in Oriente receptam de valore hujus sacramenti per laicos collati; id ipsum dicitur de facto, quod refert Joan. Moschus, hebraei nempe arena superflua a laicis baptizati, quod baptismum ea tantum de causa improbatum est, quod non idonea materia fuerit datum, non autem ex defectu ministri, de quo nemo dubitavit, ut legentibus cap. 176. *Prati spiritalis* patebit; miror propterea hæc fugisse diligentiam Tillemontii.

(1) Sic enim legitur Const. apost. lib. m. cap. 10. « Sed nec laicis permitimus quamlibet sacerdotalium functionum usurpare; ut sacrificium vel baptismum, vel impositionem manus, vel benedictionem tum parvam tum magnam. Non enim quisquam assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo. Nam per impositionem manuum episcopi datur hæc dignitas. Qui autem eam non habet sibi commissam, sed sibi illam rapuit, Ozie supplicium sustinebit. » Eadem fere leguntur lib. viii. cap. 46. necnon lib. ii. cap. 17. Ceterum de necessitate in toto hoc opere nec verbum quidem. Cf. prædium adnot. 72. Cotelerii ad cap. 9. lib. m. constit. apost.

(2) Hunc esse sensum rebaptizantium, non obscure colligitur ex epist. Firmiliani pag. 149. et 150. edit. Maur. Refragatur tamen Petavius loco mox citando disserens de s. Basilio.

(3) In animadv. ad expositionem fidei s. Epiph. pag. 341. Cf. tamen Card. de Aguirre in adnot. in hunc eam, qui integer ita se habet: « Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus baptizare in necessitate, ita ut si supervixerit, ad episcopum eum perducatur, ut per manus impositionem perfici possit. » Jam vero doctus hic auctor verba illa: *Qui lavacrum suum integrum habet*, exponit de eo, qui gravi aliqua culpa post baptismum non se inquinaverit, neque poenitentiam ullam subierit; prout jam pariter ea exposuerat Albaspinaus. Ex his autem verbis intelligitur concilium majoris tantum decentiæ causa statuisse, ut conferendo baptismum in necessitatis casu præferatur agamus et culpa vacuus bigamo ac peccatori seu poenitenti. Actio enim baptizandi per se spectat ad officium sacerdotale, nil mirum proinde si patres concilii Illiberitani in ejus ministro quamvis laico requisierint quod ejus fieri potuit, ut propius accederent ad disciplinam sacerdotalem. Quo refertur celebre illud Tertulliani effatum in lib. *De pudicitia*, de quo suo loco fusius agemus, « Ubi ecclesiastici ordinis non est consensus et tingis, et offers

*II. Obj.* Invalidum, aut saltem illicitum erit censendum baptismum a feminis administratum. Consentiant enim veteres *ἡναικοβαπτισμῶν* illegitimum esse; Tertullianus: *Non permittitur, inquit, mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere nec offerre* (Lib. *De virginibus velandis*. c. 9.) mulieres propterea, quæ tingere audebant vocat *peulantes et procaces* (De *Præscript.* cap. 41). S. Epiphanius hæc ipsa de causa reprehendit Marcionitas et Pepuzianos (Hæresi XLII. cap. 4. edit. Petav.); Concilium Carthagin. IV. can. C. statuit: *Mulier baptizare non presumat* (Apud *Hard. Acta conc.* tom. I. col. 984). Perperam porro addit a Gratiano et Magistro sentent. *Nisi cogente necessitate* (Gratianus in decreto P. III. de consecr. Dist. IV. cap. *Mulier*. ed. cit. *Magister sent. lib. IV. D. 6*): quæ clausula concilii non est. Ergo.

*Resp. Neg. Ant.* Ad omnes vero adductas prob. respondeo, eas respicere baptismum solemnem aut publicum, quale nempe hæretici pepuziani, marcionitæ, et collyridiani feminis demandabant, perinde ac cetera munia sacerdotalia, quod profecto nefas est. Hinc Tertullianus: *Ipsæ mulieres hæreticæ, inquebat, quam procaces! Quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes præmittere, forsitan et tingere* (1). Ad concilium autem Carthaginiense spectat quod attinet, ejus mens in citato canone liquet ex ean. præcedente XCIX. *Mulier quamvis docta et sancta, viros in conventu docere non presumat, videlicet ea vox in conventu subaudienda est in can. seq. *Mulier baptizare non presumat*, nempe ubi adsunt viri* (2).

Addo hæc aliaque ejusmodi argumenta, quæ urget Turretinus, æque, imo magis premere valorem et honestatem baptismi ab hæreticis administrati, quem tamen ipse cum suis ut validum ac legitimum habet. In his siquidem attendendum est ad doctrinam et praxim Ecclesiæ.

*III. Obj.* Saltem juxta doctrinam patrum, nullum erit baptismum ab infideli collatum. Patres enim refullebant rebaptizantes ex principio, quod hæretici dare potuerint baptismum, quem ipsi acceperant, nec per hæresim amiserant; censebant igitur conferre illum non posse, qui eo careret. Ita Tertullianus, qui ideo evincit laicos in necessitate tingere posse, quia: *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest* (De *baptismo* cap. 17); sic Hieronymus eidem principio innixus scribebat: *Ut enim accepit quis, ita et dare potest* (In *Dial. adver. luciferianos*. n. 9); qui propterea luciferianum alloquens: *Novam, inquit, rem asseris, ut christianus quisquam factus sit ab eo, qui non fuit christianus* (Ibid. n. 12). Quare in capitularibus ab Angeliso et Benedicto levita collectis lib.

et sacerdos es tibi solus... *Bigamus offers, digamus tingis?* » Exploratum igitur est, in objecto canone non agi de baptismi valore a poenitente, aut bigamo collati.

(1) De *præscript.* loc. cit. Cf. de baptismum a muliere collato eruditum Cotelerium in lib. m. const. apostolicæ nota 72. ad cap. 9. et n. 73. ad cap. 10.

(2) Hæc interpretatio est s. Thomæ 3. P. q. 67. a. 4. ad 1. ac alteri præferenda videtur data a Gratiano et Petro Lombardo; quamvis et istorum expositionem ex sese veram exhibeat, imo et priorem supponat.

VIII. *Præcipitur, ut qui a paganis baptizati sunt, de-novo a sacerdotibus in nomine Ss. Trinitatis baptizentur* (Cap. 401); ibid. lib. VI. *Si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur et ordinetur iterum, et omnes quos prius baptizavit* (Cap. 94). Ergo.

*Res. Tr.* vel *Neg. A.* Exploratum enim est, nondum ætate illa excitatam fuisse quæstionem de valore baptismi dati ab infideli, hinc nullum documentum afferri potest ex patribus antiquioribus, quod directe aut faveat, aut adversetur ejusmodi baptismi valori. Dixi *directe*: Siquidem veritas hæc, ut innuimus, velut in germine continebatur in doctrina de valore baptismi ab hæreticis collati, qui ideo valet juxta patrum doctrinam, quia hujus sacramenti minister in nomine et auctoritate Christi agit. Hæc enim præter traditionem est ratio potissima ab ipsis adducta, ac præsertim a s. Augustino, prout superius vidimus, ut conficeretur validum esse hæreticorum lavacrum. Hæc autem ratio æque militat pro valore baptismi dati ab infideli, quia, spectata summa hujus sacramenti necessitate, Christus voluit, ut ministri qualitas seu conditio ejus valori minime obsisteret, quod progressu temporis Ecclesia voluntatis ejus interpres declaravit. Rationes reliquæ subsidiariæ potius sunt quam decretoriæ. Accedit, nondum tunc temporis satis eliquata controversia de valore baptismi collati ab hæreticis, nihil mirum esse, si nonnulli inter patres visi sunt vel abjicere, vel saltem dubitare de baptismate a pagano administrato. Atque exinde patet responsio ad singula quæ objecta sunt.

Ceterum s. Hieronymus in testimonio, quod ex n. 12. Dialogi adversus luciferianos prolatum est, loquitur de eo qui orthodoxus ab hæretico factus perhibetur, non autem de eo qui simpliciter christianus effectus sit, seu baptizatus, ut constat ex tota orationis serie, in qua sermo est de homine ab arianis tincto.

Capitularia ab Angeliso et Benedicto collecta, juxta Natalem Alexandrum loquuntur in cit. locis de baptismo, in quo neque servata fuerit forma, neque Ecclesiæ ritus. Hæc sane videtur unica ratio conciliandi capitularia illa inter se. Nam ibid., lib. V, cap VI legitur: *Si quis baptizatus est a presbytero non baptizato, et sancta Trinitas in ipso baptismo invocata fuit, baptizatus est* (1).

#### CAPUT IV. DE BAPTISMI SUBJECTO.

Ex lutherano systemate de justificatione per solam fidem obtinenda, intulit Storechius anabaptistarum parens, rebaptizandos esse eos omnes, qui in infantia fuerant abluti, utpote fidei actualis incapaces (2). Servetus pariter inficiatus est, infantes tingi

(1) Cf. Nat. Alexand. *Theol. dogm. et moral.* lib. ii. cap. 3. prop. 3. ubi eadem ratione exponit ceteros canones, qui huic doctrinæ adversari videntur.

(2) Anabaptistæ ex lutherano systemate progeniti sunt. Etenim si juxta lutheranos sacramenta non sunt nisi instrumenta, quibus apprehenditur fides seu fiducia per quam